Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 69

Quelle:
Copyright:

nec vala lön ėhſėg a földön. Azėrt elmėne ember Judanac Betlehemė böl hogy zarandoklana Moabitidiſnec vidėkėben ö feleſėgėuel es kėt fiayual. &c. Vides adhiberi *c* finale pro *k*, punctum ſupra *e* loco accentus; *ö* vero per *o* quoddam *petiolatum*, quod typo exprimere non potui, repraeſentatur. Epiſtolae Paulinae lingua Hungarica impreſſae fuere *Cracoviae* 1532. 8. Quatuor Evangelia *Viennae* 1536. 8. Novum Teſtamentum *Uiſzigethini* 1541. 4. Biblia integra Reformatorum *Viſolii* 1590. f. Catholicorum *Viennae* 1626. f. *Stephani Szanto* ſive *Aratoris* Verſio V. T. nullibi comparet, neque ea ad Noſtrae aetatem aſcendit Auctore a. 1612. *Olomucii* defuncto. Hanc igitur praeſentem ſummae raritatis eſſe, ipſum inſuper Literatorum de ea ſilentium evincit.

XLVIII.

R. 72 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 161. 8. per duas columnas minutiſſime ſcriptus, rubricis diſtinctus, et, ut adſerit p. 1. aliquando *monachorum congregationis ſancte iuſtine de padua deputatus monaſterio ſanctorum Seuerini et Soſſii* (ſic) *de neapoli*, eſt Pars Operis Biblici vulgatae interpretationis ſequentes Libros complexa: *Job*, *Parabolas*, *Eccleſiaſten*, *Cantica*, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *Prophetas* majores et minores. Omnes cum *Hieronymi* Prologis, quorum qui in *Eccleſiaſten* eſt, per Librarii errorem *Jobo* ſubnectitur.

XLIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 73 XIV. Folior. 103. 8. eſt ejusdem Operis Biblici Pars poſtrema, ſeu *Novum Teſtamentum*, eodem modo inſtructa, ut praecedens. *Actus Apoſtolorum* intercedunt inter *Epiſtolas Pauli* et *Canonicas*. I *Joh.* c. 5. utrumque Teſtimonium integre legitur; terreſtre tamen coeleſti praepoſitum eſt. Ad calcem *Apocalypſeos* nihil. Quid reliquis horum Bibliorum Partibus factum ſit, dicere non habeo; jam enim ita diſtractae *Neapoli* ad nos pervenere.

L.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3109 XIV. Folior. 369. 4. minute, ſed nitide perſcriptus, et minio diſtinctus hanc in Theca Notam praefert: *Iſte Liber eſt Monaſterij S. Dorothee virg. ac mart. Wienne. Et continet 2am partem Biblie quem Magiſter Jeronimus Licentiatus decretorum frater eiusdem Monaſterij profeſſus libenter voluit eſſe communem.* Initium igitur a Libris *Salomonis*, quos alii conſueto ordine, Praefationibusque *Hieronymi* inſtructi conſequuntur. *Machabaeis* praefatur, ut ſolet, *Raban. Maurus.* Teſtimonium triplex *Joh.* I. c. 5. ita conceptum eſt: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium perhibent in terra. aqua ſanguis et ſpiritus* (era-